



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Veteris Hominis Per Expensa Quatuor Novissima Metamorphosis, Et Novi Genesis

Stanyhurst, Guillaume

Coloniae, Anno 1702

VD18 1237699X

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51849)



AD LECTOREM.

DUos, in uno homine, esse homines, est testatissimum Spiritus Sancti effatum, magno maximi Apostoli calamo exaratum. Sic enim ipse ex Saulo olim, jam Paulus; hoc est, ex homine veteri, jam novus (a)

Deponere, secundum pristinam conversationem, VETEREM hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritum mentis vestrae; & induite NOVUM hominem qui secundum Deum creatus est. Homo VETUS est Adami; Novus est Christi. Ille de deorsum: hic de tursum: ille de terrâ, hinc de caelo: ille à Naturâ: hinc à Gratiâ: ille est

* 3

in

a Ephes. 4. 22.

AD LECTOREM.

inferior: hîc superior: ille est homo animalis: hîc spiritualis: ille est in domo Adami, Cain: hîc Abel: ille est in familia Isaaci, Esau: (a) hic Jacob: ille est ex Agar, *filius ancilla*: (b) hic ex Sarâ, *filius liberae*. Denique homo VETUS, est *de terra terrenus*: Homo NOVUS, *de caelo caelestis*. Quantum ergò est intervallum inter terram, & caelum; tantum est & discrimen inter hominem Veterem, & Novum. Nonne igitur, si homo Vetus, fiat Novus, talis erit illa Metamorphosis, qualis nec unquam commentus est Ovidius in suis Metamorphoseos libris? Quid est Metamorphosis, nisi formæ Mutatio, Transmutatio, Transformatio, Conversio? An non esset magna rerum conversio, atque adeò stupenda Metamorphosis, si lolium fieret

a Gal. 4. 2. b Gor. 15. 47.

AD LECTOREM.

fieret liliū , zizanium triticum ,
palea frumentum , hædus agnus ?
qui erat *Vas in contumeliam* , (a)
fieret *vas in honorem* : si *Ethiops*
mutaret pellem , & *pardus varie-*
tates suas ? Major , adeoque &
mirabilior fit rerum transmutatio ;
dum homo *Vetus* , fit *Novus*. In-
audita fit transformatio , dum la-
pides à *Deucalione* , & uxore
trans tergum jactati , conversi sunt
in homines , sed quod in *Ovidio* est
fabula ; modo in *Ecclesia* , est histo-
ria. Etiam lapides vertuntur in ho-
mines. Audi *Oraculum Joannis*
Baptistæ : (b) *Potens est Deus de la-*
pidibus istis facere filios Akrahæ. (c)
Audi & *Dei promissum*. *Anserum*
cor lapideum de carne vestrà ; & *dabo*
vobis cor carneum. Sed obstupef-
cendas illas in hominibus , quas

* 4

Spiri-

a *Rom. 9. 22.* b *Jerem. 3. 23.* c *Matt.*
39. c *Ezech. 36. 60.*

AD LECTOREM.

Spiritus Sanctus, beneficio Gratia operatur Metamorphoses, accipe à Sanctis Patribus. Chrysoſtomus sic loquitur: (a) *Invenit* (ſcilicet Spiritus Sanctus) *publicanum, & fecit Evange'iſtam: invenit perſecutorem, & Apoſtolum reddidit: invenit latronem, & in Paradifum induxit: invenit meretricem, & Virginitas coequavit: fugavit malitiam, & induxit benignitatem: exterminavit ſervitutem, & induxit libertatem.* Nos miramur in Ovidio *Aëtonem* mutatum in cervum; *Danaides*, in veſperthiones; *Atlantem*, *Mauritaniae Regem*, in montem. Hæc, & majora ab Ovidio ficta, ſæpius à Spiritu Sancto ſunt facta. Convincit id læteus Orator *Laſtantius*:
(b) *Da mihi virum, qui ſit iracundus, maledicus, effrenatus; pauciſſimis*
Dei

a *Ex variis in Matt. locis hom. 21.*

b *L. inſtit. c. 15.*

AD LECTOREM.

Dei verbis, tam placidum, quam o-
vem reddam. Da cupidum, ava-
rum, tenacem; jam cum tibi libera-
lem dabo, & pecuniam suam plenis
manibus largientem; da timidum
doloris, ac mortis: jam cruces & ignes,
& periculum omne contemnet; da li-
bidinosum, adulterum, ganeonem:
jam sobrium, castam, continentem
videbis; da crudelam, & sanguinis ap-
petentem; jam in veram clementiam
furor ille mutabitur, &c. Tanta di-
vine Sapientia vis est, ut in hominis
pectus infusa, matrem delictorum,
stultitiam, uno semel impetu expellat.
Non igitur immerito libro meo
præfixi hunc titulum: *Veteris homi-
nis Metamorphosis*. Et cum fieri non
possit, ut Vetus homo moriatur,
quin Novus nascatur: addidi il-
lad, & *Novi Genesis*, id est, Nati-
vitas. Sed quo pacto fiet hæc
Veteris hominis Metamorphosis,

AD LECTOREM.

& Novi Genclis d sine longa tem-
poris mora, citissime; sine ulla
corporis molestia, facillime; sine
ullo tædio aut fastidio, jucundissi-
me. Sic enim idem Lactantius: (a)
Gratis ista fiunt, facile, citò; modo
pareant aures, & pectus sapientiam
sugiat, &c. Quis hæc Philosophorum
aut unquam præstitit, aut præstare,
si velit, potest? Qui cum atates suas
in studio Philosophia conterant, neque
alium quenquam, neque seipsos (si
natura paululum obstitit) possunt fa-
cere meliores. Itaque sapientia eo-
rum u' plurimum officiat, vitia non
exscindit, sed abscondit. Pauca verò
Dii præcepta totum hominem immu-
tant; & ex suo Vetere, Novum red-
dunt, ut non cognoscas eundem esse.
Pondera illa verba: Pauca præcep-
ta totum hominem immutant. Plus
dico; inter pauca, sufficit unum
præ-

a Suprà.

AD LECTOREM.

præceptum, ut homo Vetus mute-
tur in Novum, videlicet illud Sa-
pientis: (a) *Memorare novissima
tua, & in æternum non peccabis.* Si
memineris novissimorum, qui fue-
ras virtute novissimus, fies primus:
si recorderis novissimorum, dili-
ges eum, (b) *qui est primus & no-
vissimus: eris & securus in novissima
hora:* (c) imò per expensa novissi-
ma, fies in Christo nova creatura;
id est, è Veteri homine fies Novus.
Meditatio mortis, erit tibi inno-
vatio vitæ. Si tibi proponas sæpè
extremum Judicium: illicò, qui
tibi erat quasi ignotus, (d) à reco-
gnoscetur Dominus, *Judicia faciens.*
Si descendas vivus ad Infernum
cogitatione tua: non amplius du-
ces *in bonis dies tuos, ne in puncto*

* 6

ad

a *Eccles. 7. 40.* b *Apoc. 1. 17.*
c *Joan. 18. 2.* *Corin. 5. 17.* d *Pf. 9. 17.*

AD LECTOREM.

*ad inferna descendas. (a) Si mente
sæpius ascendas ad cælos; conver-
satio tua erit in cælis. (b) Atque ita
de terreno, fies cælestis; hoc est
de Veteri, homo Novus. Ut talis
evadas, hæc pauca, quæ de Novis-
simis scripsi, evolvas: & ei,
qui scripsit, fave,
& vale.*

PRO

a Job. 21 13. b Philip. 3 20.